

741.

1282 d. 20 Apr.

Domprostens i Wexiö. Betyg att GUDMUND af Assyo gifvit Nydala kloster af sina arfvegods.

A. 3. x. 1: 54.

Vniuersis christi fidelibus presentes litteras Auditoris vel visuris. W. Dictus prepositus ecclesie vexionensis. vtinam non indignus. salutem in virginis filio ihesu christo. Tenore presencium liquido constare volumus vniuersis. Quod guthmundus de assyo donacionem inter viuos faciens monasterio nouevallis. Ita videlicet. quod medietatem prediorum ipsum ex hereditate paterna contingentem. & medietatem hereditatis fraterne. cum tota hereditate quam post filiam suam acquisiuit. cum medietate bonorum mobilium. & curia. in dicta villa assio existente. perpetuo contulit dicto monasterio possidenda. ea tamen racione. quod ipse. G. quamdiu vixerit. in dictis bonis resideat. pensionem tamen debitam singulis annis monasterio soluturus In cuius rei testimonium siggillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Wihcherlli Anno Domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXXXII<sup>o</sup>. Duodecimo Kallendas Maij.

Sigillet bortfallet från den ur brevet klippta remsan.

742.

1282 d. 25 Apr.

Lagmansryd.

Lagman i Wärend, FOLKE CARLSSONS Testamente, af åtskilliga gårdar, lägenheter och penningar till kloster och kyrkor, m. m.

A. 4. a. 2: 9. \*)

IN nomine patris. & filij. & spiritus sancti Amen. Ego fulko condan karoli filius legifer wærendie sanus & incolumis cupiens anime mee salubriter prouidere condo testamentum meum in hunc modum & confero de bonis mihi a deo collatis curiam in broby clastro nowewallis cum insula sprængshø. Molendinis. agris. pratis. siluis. & ceteris attinencijs pro anima mea & pro debito quo eidem clastro teneor obligatus. & in eodem clastro eligo sepeliri si contigerit me mori in smalandia. & licet alibi moriar sepe dictum clastrvm nihilominus habeat curiam memoratam. Clastro in wretum curiam in eneby cum omnibus attinencijs. & si moriar extra smalandiam tunc ibi eligo sepulturam. Sed si permiserit me deus alibi sepeliri tamen idem clastrum possideat supradicta. Clastro sororum ordinis predicatorum in skenningia curiam in møhamar cum omnibus sibi attinentibus tam in prediis quam in alijs bonis mobilibus & immobilibus & capellam meam meliorem tam cum calice quam cum omnibus alijs pertinentijs. Ad edificium

\*) Efter en af Lagm. i Wärend N. SIGRITHASUN år 1286 vidimerad afskrift.

ecclesie lincopensis duas marchas argenti. Ecclesie wexionensi ad canoniam duas curias in øre & hærelde cum omnibus attinencijs suis sub ista condicione ut in qualibet septimana due misse in eadem ecclesia celebrentur una de beata virgine & altera pro peccatis meis. Ecclesie in garzbý pro libris & indumentis agrum nomine brækinskalæ tam pro anima mea quam pro debito in quo eidem ecclesie teneor & agrum qui iacet in orientali parte gambælidstader sacerdoti ad mensam. Ecclesie in tholge agrum brunthathæ qui sit sub mensa sacerdotis. Ecclesie in stoccarýd agrum qui apaldæacher nuncupatur ad mensam sacerdotis & capellam meam sine calice. Ecclesie in wam agrum qui iacet in orientali parte cimiterij & sit sub mensa sacerdotis pro anima mea & pro debito in quo teneor eidem ecclesie. Ecclesie in bruddæthorp agrum dictum loredachær. qui iacet in occidente iuxta uiam & sit ipse eciam sub mensa sacerdotis, Singulis claustris in regno swecie preter supradicta duas marchas denariorum. Singulis hospitalibus duas marchas denariorum. Ad soluenda ista & alia debita mea pono curiam meam in tholge cum colonis & molendinis. & omnibus ei attinentibus sub ista condicione. quod dominus nicholaus. Sigredasun cognatus meus. Post mortem meam sub sua protectione & custodia habeat curiam memoratam & omnes prouentus eius integraliter percipiat quousque de ipsis tam supradicta omnia que dedi claustris & ecclesiis. quam debita mea quecumque tunc habuero per ipsum fuerint persoluta & uolo quod ante hoc heredes mej dictionem in sepedicta curia petendi seu ipsam aut aliquid de ipsa quomodolibet exigendi nullam penitus habeant facultatem. Jtem ad terram sanctam pro redempcione crucis mee do. XXX:ta Marchas argentj. sed uiginti marchas de hijs triginta duobus famulis meis ad expensas & decem marchas ad offerendum in terra sancta. & quia frater meus magnus iuuenis est committo supradicto domino. Nicholao ut omnia predicta fideliter exequatur sicut coram deo uoluerit respondere & ut uendat duas curias meas scilicet bugæstaf & ýthnø & de precio earum crucem meam persoluat & si aliquid superfuerit pauperibus largiatur. Volo autem quod fratribus predicatoribus de skænningia conferat . X. marchas denariorum si supra redempcionem crucis tantum superfuerit de precio dictarum curiarum & omnium eis attinencium, Sin autem prouideat de hijs que prouenire poterint de tolge quod omnino dicti fratres pro anima mea habeant decem marchas. Ingridi condam Nicholai pincerne filie cognate mee, confero curiam meam in vllawj cum omnibus ei attinentibus tam hijs que nunc ei attinent quam que attinere contigerit in futurum. Brýnulpho carpentario do libertatem duos boues. quatuor vaccas. & duas horas annone, & recipiat ista de huf aut hwæm. Siggoni eciam & fratri eius do libertatem cum rebus quas habent. Hoc testamentum meum irreuocabile esse uolo, Si contigerit me absque liberis morj, Si autem liberos habuero reseruo in li-

beram potestatem aliud faciendi. Ad cuius evidenciam & firmitatem maiorem sigillum. dominj mei regis, cum sigillis venerabilium patrum Dominj, . Archiepiscopi vpsalensis, Dominj. H. episcopi lincopensis, Domini. B. Episcopj skarensis. Dominj. A. strengennensis, abbatis nouewallis, & sigillum meum, meorumque heredum duxi presentibus apponenda. Actum in lagmanzryth. Anno domini. M°.CC°.LXXX°.II°. In die. Beati. Marci. ewangeliste.

Ett enda sigill, som derunder funnits, är bortfallet.

743.

1282 i Maj.

Ärke-Bisk. BERTRANDS Redovisning i Påfl. Skattkammaren för hvad häri i Sverige på 5 år och i Danmark på 6 år insamlats till Heliga Landets hjälp.

K. t. 4: XXI.

In Regnis, Provinciis et Terris infrascriptis deputati fuerunt per Sedem Apostolicam Decimarum Collectores, qui inferius nominantur ad colligendam *Decimam, Terræ Sanctæ subsidio deputatam,*

In omnibus partibus Regni *Scotiæ* Magister *Raymundus* de Vitiis canonicus Astensis, quondam Capellanus Domini Uberti Cardinalis fuit deputatus Superintendens, et adhuc est.

Item in omnibus partibus Regni Norvegiæ Dominus *Johannes* Archiepiscopus Nidrosiensis. Iste incepit colligere decimas per unum annum post alios Collectores deputatos in aliis provinciis, post cujus obitum ad complures annos subrogatus est ibi Dominus *Uguittio* Plebanus de Castellione Aretinæ diœcesis et adhuc est ibi.

Item in omnibus partibus Regnorum *Daciæ* et *Suetiæ* Magister *Bertrandus* Amalrici Canonici Remensis Domini Papæ Capellanus fuit Superintendens, qui collegit ibi per septem annos, post cujus recessum et plures annos dictus Plebanus de Castellione fuit sibi subrogatus et adhuc est ibi.

Item in omnibus partibus *Colonien. Bremen. et Magdeburgen.* Provinciarum ac in diœcesi *Caminensi*, Magister *Ragnarius*, Præpositus Clavasii, cui est subrogatus Prior Sancti Andreae de Urbibeteri et adhuc est ibi.

Ratio Decimæ collectæ in *Dacia* et *Suetia*.

In nomine Domini amen. Ratio Venerabilis Patris, Domini *Bertrandi* Amalrici archiepiscopi Arelatensis, quondam Canonici Remensis, Domini Papæ Capellani, Collectoris decimæ Terræ Sanctæ, in Regnis *Daciæ* et *Suetiæ* per sedem Apostolicam deputati anno Domini MCCLXXXII, Pontificatus Domini *Martini* Papæ IV anno secundo, indictione X, de mense Maii, facta ratione cum eodem Domino Archiepiscopo per nos *Berardum* Domini Papæ Camerarium et Magistrum *Bernardum* de Carcassona ejusdem Domini Papæ Scriptorem, et Venerabilis Patris Domini *Jacobi de Sabello* Cardinalis Ca-